

Faße!

An salus sit  
regimen magi  
spratus civici  
in re publica  
bene constituta,  
divisim an  
conjunctum?



störz.

A  
M

C

2

T

C



Q. D. B. V.

QVÆSTIONEM HISTORICO-  
POLITICAM:

AN SATIUS SIT REGIMEN  
MAGISTRATUS CIVICI IN RE-  
PUBLICA BENE CONSTITUTA  
DIVISUM, AN CONJUNCTUM?

occasione

*Conjunctionis Curiarum in Augu-  
stissimi REGIS BORUSSORUM Pentapoli  
Regia ante biennium factæ,  
IN GYMNASIO ZITTAVIENSI*

enodatam,

sub Præfidio

M. GODOFREDI HOFFMANNI

Rectoris,

ad d. XXII. Octobr. MDCCXI.

loco speciminis Valedictorii

publicæ Disquisitioni

submittit

Aut. & Resp.

Franciscus Sigismundus Pape,

Colonia-Marchicus.

---

ZITTAVIÆ, litteris Hartmannianis.

28. 4. 06.

MAGISTRATUI AMPLISSIMO,  
QVO GAUDET  
INCLYTA SEDES REGIA BEROLINUM  
CUM CAETERIS URBIBUS VINCULO JUNCTIS,  
VIRIS

*Nobilissimis, Consultissimis, Magnificā  
Autoritate conspicuis,*

DOMINIS DOMINIS  
CONSULIBUS, AUGUSTISSIMI REGIS BO-  
RUSSORUM AULÆ CONSILIARIIS,  
SYNDICIS, AUGUSTISSIMI REGIS BORUS-  
SORUM AULÆ ET CAMERÆ ADVOCATIS,  
CAMERARIIS, OECONOMIÆ DIRE-  
CTORIBUS,

SENATORIBUS, QUOTQUOT SUNT,  
SPECTATISSIMIS,

DOMINIS AC PATRONIS SUIIS GRA-  
TIOSIS, MAXIMO HONORIS CULTU PRO-  
SEQUENDIS,

AD REMPUBLICAM PATRIAM FELICI-  
TER GERENDAM

OMNIS GENERIS ΕΥΔΟΤΙΑΝ fidissime apprecatur  
ET SUAM DISSERTATIONEM VALEDICTORIAM  
ex Gymnasio Zittaviensi devotissime inferibit  
RESPONDENS.



*Magnifici Ordinis Senatorii  
Assessores singuli!*

*Domini Patroni venerandi maximopere & studio-  
rum meorum Promotores estimatissimi!*

**P**Er biennium & dimidium anni *Zittavia*, urbs  
Lusatiae superioris haud incelebris, suo in Gy-  
mnasio me, Deo sic providente, tam benignè  
fovit, ut ingratus forem, nisi nunc è loco tam benefico  
discessurus, gratiam inde reportatam Patriae meae aper-  
tis significarem litteris. Quemadmodum enim opti-  
mae illi Civitati, praè multis aliis, ea esse solet humanitas,  
ut ad promptè suscipiendos & liberaliter tractandos  
omnes Exteros sit maximè facilis; ita & mihi suae  
promptitudinis & liberalitatis documenta varia exhi-  
buit. Usus sum Magistris, qui conatus meos dexter-  
rima sua institutione fideliter adjuverunt. Convictum  
habui, qui cum pabulo mentis salutare semper fuit con-  
iunctus. Atque, ut paucis omnia complectar, in sin-

gulis ipse cognovi, Zittaviæ exterorum Parentum paternè curari Filios. Compenset hanc curam cœlesti benedictione benignissimus omnis Boni Remunerator, atque Zittaviensium Liberos alibi peregrinos, suæ curæ habeat commendatos. Cæterum ubi Exterorum Benevolentiam prædico, in Patria meam absentis salutem novo sublevari divinæ Providentiæ beneficio, ex dilectissimi Parentis lætus intelligo litteris. *Magnificum* enim *SENATUM* mihi Stipendium à *Beato Dn. DISTELMEIERO, Viro sui temporis de universa Republica meritissimo & facto consummatissimo* in usum Filiorum, qui nati sunt Patribus in Sede Regia munere Ecclesiastico fungentibus, olim piè destinatum contulisse, referunt. Certè dici non potest, quantum ad studiorum cursum constanter prosequendum vestra hæc, *PATRONI colendissimi*, Liberalitas & Benevolentia me concitet. Sperare enim nunc possum, futurum, ut DEO dirigente Vestra favendi, juvandi & patrocinandipromptitudo eò certius in me continuetur. Utinam aliquid in meis jam occurreret servitiis, quod ad tantam reponere liceret Gratiam! Sed placebit etiam destituta demerendi viribus pietas, cujus hîc veluti primum offerre audeo documentum. Commodate igitur, *PATRONI optimi*, cum specimini huic favorem, quem meis nunquam negavistis patriis adibus. Cæterum

terum Beneficium, quo studia mea in Academiis suble-  
vare gratiosè constituisstis, ita impensum iri, polliceor,  
ut *Vestra Beneficentia* finis, h. e. divinæ Gloriæ pro-  
motio possit obtineri. Ea enim, bono cum DEO,  
quem mihi precor semper propitium, unicè acturus  
sum, quæ Patriæ profutura, Patronis grata, mihi que sa-  
lutaria, intellexero. Ita nec dubito, quin summus ille  
cordium humanorum Moderator, DEUS, Vestram mi-  
hi meisque Gratiam & promovendi promptitudinem  
constanter sit servaturus, cujus Amori & Tutelæ *Vos,*  
*Vestrasque Familias splendidissimas,* devotissimè com-  
mendo.

## Vestrarum Excellentiarum & Amplitudinum

subje&tissimus Cliens, Cultor ac Civis,

Zittav. d. XXI. O&.   
MDCCXI.

FRANCISCUS SIGISM. PAPE.

A 3

Præ-

## Præfamen.

**Q**uanta sit amplitudo Regiæ Sedis, quam hodie Potentissimus & Augustissimus Borussiae Rex, FRIDERICUS, Dominus noster longè clementissimus, sua Majestate repletam tenet, & Munificentia sua indies sive ampliore sive splendidiorē reddidit, inter omnes, non modo ipsius incolae, verum & curiosos orbis lustratores, constat. Eam enim quinque constituunt urbes, Berolinum, Colonia ad Spream, Fridericiwerda, Neapolis sive Dorotheapolis & Fridericopolis. Quarum singulae sunt olim gavisæ suò Magistratu privato, constante Consalibus, qui gerunt honores plerumque Consiliariorum Regis; Syndicis, qui Advocati Camerae & Aule simul audiunt; Camerariis, quorum est curam gerere expensarum Magistratus; Senatoribus & Secretariis Curiarum. Divisum illud sive sejunctum Curiarum Regimen à Friderico II. Electore quondam introductum, ante biennium immutabatur in conjunctum. Quemadmodum enim Augustissimus Rex noster, FRIDERICUS, pro sua in Patriam cura verè paterna omne id agit, quod ad Subditorum salutem referri posse novit, probe memor, se ipsius DEI gerere personam, divinaque providentiæ, curæ & gubernationis typum esse: ita & Regiæ suæ Sedis saluti in eo consulere voluit, ut Pentapolis nostræ curias anno 1709. conjungeret, ex omnibus unum Magistratus civici corpus constituendo.

Cum itaque ego stadio scholastico finem impositurus, valedictorium specimen edere, inque eo negotio ad Patriam meam, & imprimis ad illam Curiarum combinationem respicere ab optimo Parente meo jussus sim: nescio quo sidere tractus incidi in Problema istud enodandum: Satiusne sit in Republica benè constituta Regimen Magistratus urbani conjunctum, an verò divisum? Videtur quidem hoc argumentum supra caput ætatis meæ positum esse, & à studiis abhorrere juvenilibus: in-terim tamen cum nunquam feliciter Meditantium desudet industria, quam



in DEI supremi Regnorum Assertoris Bonitate, optimorumque, qui felices hujus existunt amulatores, Principum Factis prædicandis: excusatum iri confido audaciam meam, postquam imitor eos subditos, qui, quando tributorum necessitatem auro & argento redimere nequeunt, pro facultatum modulo plumbi, ferri, straminis & graminis copiam comportant. Non nisi jejuna fateor, proferre potui, ut solent homines infirma ætatis; nolui tamen mutare mentem & in aliud argumentum delabi, cum æquius sit, balbutire de rebus Patriæ, quàm disertè loqui de alienis. Precor itaque, ut hæc plaga inveniant lectores, qui assentiantur sententiæ Poëtæ:

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Cæterum quò constet L. B. quid in præsentii dissertatiuncula delibare conatus sim, quanquam delibata propter iugenii infirmitatem non satis dignè diducere valuerim; ejus argumenta summatim communicabo. I. Inquiritur, (a) quæ fuerit causa impulsiva Civitatis constituenda §. 1. 2. (b) quid sit civitas §. 3. (c) quæ causa finalis ejus, §. 4. (d) quæ ejusdem commoda §. 5. II. Adstruitur, quod Civitas sine Lege & Lex sine Magistratu consistere nequeat §. 6. III. Exponitur (a) quid sit Magistratus §. 7. (b) quotuplex sit §. 8. (c) Ejus officium in quo consistat §. 9. IV. His itaque præmissis præmittendis resolvuntur nunc Questiones: (1.) An necessum sit, ut singule urbes singulos habeant Magistratus? §. 10. (2.) an urbibus multiplicatis multiplicandi etiam sint Magistratus; vel unus Magistratus annon etiam imperare queat urbibus accessoriiis? §. 11. (3.) Num Regimen Magistratus civici divisum, num conjunctum, sit fatuus? §. 12. Rationes pro diviso §. 13. Rationes pro conjuncto, §. 14. Posteriores præferuntur prioribus salva vero secus sentientium auctoritate, quorum tamen objectionibus aliquid responsionis reponitur, §. 15. Coronidis loco resolvitur Questio: quibus mediis alicujus Civitatis parta dignitas & magnitudo conferretur? §. 16. Atque hæc brevis ea est juvenilium istorum sonatum delineatio, quos ut æqui bonique benevolus Lector consulat, vehementer rogo.

§. 1. Quare

§. I.

**Q**uare homines antea per familias segreges dispersi tandem instruerint Civitates? quæstio est, ad quam variè responderi solet ab Eruditis. Sunt, qui Naturam dicunt compulisse ad colendas Societates civiles, cum homo sui naturâ sit animæ politicum ad societates aptum per rectam rationem ad civilem societatem congruenter apparatus. *Aristot. lib. 1. Eth. cap. 7. & Polit. lib. 1. cap. 2. conf. Johannes Fridericus Hornius de Civit. 1. cap. 4.* Sunt, qui indigentiam rerum necessariarum statuunt Civitatum constituendarum præcipuam fuisse causam, quâ homines impulsî instar aquæ confluxissent, ut ope mutua facilius ea consequerentur, quibus indigebant. In quam sententiam etiam inclinat *Plato de Rep. 1. 2. Balth. Cellarius in Politica succincta p. 82.* Alii studium captandæ gloriæ, alii libidinem imperandi, alii alia adducunt, quoties sermo est de origine Societatis civilis.

§ II.

Illustris autem *Pufendorfius cap. 1. lib. VII. de Jure Naturæ & Gentium* plurimas has refellit opiniones, & quare Patresfamilias, deserta naturali libertate, ad civitates constituendas descenderint, causam, asserit, fuisse genuinam & præcipuam, ut præsidia sibi circumponerent contra mala, quæ homini ab homine imminent: suamque assertionem probat vel dilucidat hisce verbis: *Uti post Deum O. M. homo homini plurimum prodesse, ita & non minus obesse potest, uti late deducit Cicero offic. II. Scilicet cum variis malis genus mortalium infestetur, adversus singula aliquid remediî ejusdem solertia machinata est. Contra vim morborum artes medicorum inventæ: injuriis aëris tecta, vestes, ignis, resistunt: Famem exculta per industriam hominum terra propulsat: ferociam bestiarum arma aut insidiæ coercunt. Enim vero contra illa mala, quæ pravitas humana indolis sibi invicem gaudet intentare, efficacissima ex homine ipso medicina petenda fuit, conjunctis in Civitates hominibus summoque imperio constituto.*

§. III.

§. III.

Ante omnia inquirendum est, quid per Civitatem hic loci intelligatur. Dupliciter solet ea vox accipi, *materialiter*, ubi denotat congregationem civium per se spectatam; habet enim sese instar indigestæ molis sive materiæ; *formaliter*, cum significat civium ordinationem, quæ formæ rationem obtinet, ac proinde idem est, quod civium multitudo jam forma sua induta. Cæterum circa definitionem civitatis multum dissident inter se Politici, quorum autem dissensum excutere & examinare non mearum juvenis, sed longè aliarum, virium opus est. Hinc in definienda Civitate verbis utar Viri, cujus autoritatis me tuto inniti posse intelligo. *Pufendorfio* nimirum civitatis hæc commodissima videtur definitio, quod sit *Persona moralis composita, cujus voluntas ex plurium pactis implicita & unita pro voluntate omnium habetur, ut singulorum viribus & facultatibus ad pacem & securitatem communem uti possit.* Lib. VII. Cap. II. §. 13. J. Nat. & Gent. Quæ sanè definitio multum me sublevare poterit in deducendo dissertationis meæ argumento.

§. IV.

Ejusmodi itaque Civitatis scopus & finis est securitas nec non felicitas civilis s. *Bonum publicum*. Homines enim, qui in societatem aliquam coeunt, communem spectant utilitatem & securitatem; hujus gratia & civitas instituta est primitus, & civitati inducta Respublica, qui ordo, vita, forma & anima civitatis est. *Aristot. lib. 3. polit. cap. 3. & lib. 4. cap. 2.* Nulla igitur integra erit, nulla perfecta aut bona Civitas, in qua Cives nequeant, quem sibi præfinierant, finem consequi h. e. in qua prohibeantur communibus Republicæ commodis frui. Salus enim populi suprema lex esto: *Cicer. lib. I. offic.* Et optimus quisquis commodum, securitatem & salutem Civium ante oculos positam habebit. *Cicer. s. de Republ. uti & illud Claudiani:*

B

Tu

Tu civem Patremque geras, tu consule cunctis,  
Non tibi nec tua te moveant, sed publica damna.

§. V.

Civitatis verò bene constitutæ *Commoda* varia passim prædicantur in Politicorum libellis; quorum præcipua hæc esse videntur. Primum habitatio & unio multitudinis ad vitæ necessitatem plurimum infervit, & in unita multitudine magnum est subsidium. Deinde in civitate jucundè & delectabiliter vivere licet, cum volupe sit, bona posse communicari cum multis, cumque contra nullius rei sine socio jucunda sit possessio, juxta *Senecam*: quid enim prodest possidere Imperium, & neminem habere, cui committas consilium? Porro ab impetu eorum, qui nocere possent, violento tutiores vivimus in civitatibus vel urbibus, qua de causâ muris cinguntur. Etsi enim duce natura homines congregabantur, tamen spe custodiæ rerum suarum, urbium præsidia quærebant, inquit *Cicero lib. 3. offic.* Et in Germania civitates muris & aggeribus ideo munitas fuisse, ut ab Hungaris, Carolinorum tempore sæpissimè irrumpentibus, tutæ haberent receptacula, ac propterea Noricos, Norimbergam; Bavaros Ratisbonam, Salisburgum, Augustam; Svevos Constantiam; Alfatos Argentinam, pecunia contributa, tutiores erexisse, scribit *Irenic. lib. 9. cap. 18.* Ad hæc in civitatibus utiliter & fructuosè vivitur, dum in iis contractus & commutationes possunt exerceri. Præterea commodissima adest occasio conglutinandi amicitias & conjungendi necessitudines, unde cognationes, domus, familiæ aliique civitatis nexus & vincula oriuntur, quæ sane vitam præstant tranquilliores & multarum perturbationum expertem. Tandem Civitas honestatis aliarumque virtutum aperit officinam; ibi enim major est commoditas liberos rectius instruendi & educandi, Sacra sanctius administrandi, judicia dexterius exercendi, omniaque ad me-

meliozem usum & vitæ felicitatem accommodandi. Unde *Aristot. L. polit. cap. 2.* dicit, eum, qui non est amans societatis politicæ, præsertim ejus, quæ in urbibus colitur, merito ab Homero per contumeliam increpari, quod sit sine tribu, sine jure, & sit belli cupidus, qui nullo retineri jugo possit.

§. VI.

Ejusmodi autem Societatis civilis vel civitatis vinculum sunt bonæ leges, per quas Respublica cohæret. *Sine lege enim,* dicit Cicero, *nec domus, nec Civitas nec gens nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest.* 3. de L. L. Leges verò nequeunt consistere sine Magistratu, quippe qui opus est, ut eas ferat, tueatur, interpretetur, executioni mandet, emendat & suppleat: Ita ut *Lex sit mutus Magistratus & Magistratus Lex loquens.* Cic. 3. de L. L. Plat. lib. IV. de L. L. Hinc corruii *Populus, ubi non est gubernator.* Prov. XI. 14. & sine Magistratu homines sunt oves sine pastore. Num. XXVII. 17. 1. Reg. XXII. Imo non est majus malum, quam imperii carentia, censente *Lips. 2. Pol. cap. I. ex Sophoc.* Quemadmodum navis, ait *Plato 6. d. L. L.* in medio mari noctes diesque directoribus indiget: ita quoque civitas in mediis aliarum civitatum veluti fluctibus constituta variis insidiis obnoxia semper custodibus opus habet.

§. VII.

Ejusmodi Civitatis vel Reipublicæ Rectores & Custodes dicuntur Magistratus, à Magistro nimirum, quia teste *Cælio Rhodigino L. VII. antiq. Lect. c. 17.* apud Romanos is, qui Dictator erat, ac supremam potestatem gerebat, Magister nominari solebat: Sicut hodie in Civitate Conlules Magistri civium Bürgermeister appellantur. Sumitur autem nomen Magistratus bifariam: (a) *abstractivè* pro ipsa potestate, qua pollent ii, quibus regimen est commissum. Rom. XIII. 1. (b) *Concretivè* pro personis, quæ potestate quam *Paulus ἐξουσία ὑπὲρ ἑχθραν* potestatem Super eminentem vocat.

cat. Rom. XIII. i. imperandi sunt instructæ, quas Christus ἐξουσί-  
ζουτας potestatem habentes Luc. XXII. 25. appellat. Quo sensu  
Magistratus est persona vel multitudo personarum divinitus vo-  
cata, & potestate circa res civiles atque sacras instructa ad feren-  
dum leges & exercendum judicia, ad puniendum transgressores  
& defendendum Rempublicam ab exteris hostibus, quo Deus  
glorificetur, Ecclesia cum Republica tranquillè floreat, & subdi-  
torum temporalis atque salus æterna promoveatur.

§. VIII.

Magistratus verò alius *superior*, alius *inferior* est: Superio-  
rem dicunt, qui nemini subiectus est, sed ipse summum in alios  
imperium exercet & obrinet, sicut in qualibet regione summus  
Princeps est. Et quia ille infinitis negotiis pressus curarum  
partem aliis personis sic imponere solet, ut aliqua gaudeant ju-  
risdictione; hinc ortus est Magistratus *inferior*, ita quidem di-  
ctus, quod imperans sibi reservat honorem Magistratus superi-  
oris, & inferiori potestatem modo ordinariam ad gerendas Res  
Reipublicæ, ut *Arniseus Doct. Pol. Cap. 15. 1.* loquitur, concedit, vel  
ut Aristoteles *Pol. IV. c. XV.* judicat, *de aliquibus rebus consultandi*  
& *judicandi & imperandi & quidem hujus rei maxime munus assignat.* E-  
jusmodi Magistratus inferiores Petrus *Duces à Rege missos vocat*  
*1. Epist. II. 15.* Unde & inter jura summarum Potestatum *Jus Ma-*  
*gistratus constituendi* collocatum; de quo inter recentiores viden-  
dus est *Ziegler. de Fur. Maj. lib. I. Cap. XIX.* & quotquot alias lo-  
cum de Magistratu in Politicis tractant.

§. IX.

Officium Magistratus, nomine hoc generaliter sumto, for-  
maliter consistit in potestatis divinitus concessæ debita & decen-  
ti executione. Concessa autem est Magistratui (I.) Potestas  
*συμβουλευτική Consultatoria*, h. e. bene consulendi Reipubl. omni-  
aque sollicitè providendi, ut subditorum, quantum fieri potest  
ino-

inopiæ & calamitati succurratur, qua de causa Magistratus *oculus*  
*cæcis, pes claudis, pater pauperibus*, dicitur. Job. XXIIX, 15. 16. (2.)  
 Potestas νομοθετική, *Legislatoria*, quia ipsius est *justitiam decernere*  
*Prov. IIX. 15.* Decernere verò justitiam non nisi per legem po-  
 test. utpote quæ est decretum obligatorium factum à Principe ad  
 salutem totius communitatis. (3.) Potestas δικαστική *Judiciaria*,  
 quod patet (a) ex nomine: Reges enim vocantur *Judices terræ*  
*Psal. CXLVIII. 13, sqq.* (b) ex præcepto Dei expressio *Deut. XVI.*  
*18. Judices & moderatores dabit tibi in omnibus portis tuis, quas Jehovah*  
*Deus tuus daturus est tibi, juxta tribus: qui judicabunt populum justitia;* (4.)  
 Potestas κολαστική *Vindicativa* h. e. vindicandi injurias & puniendi  
 transgressores legum; quem in finem Magistratus armatus est  
 gladio, tum *judiciario*, quo flagitiosos ad necem usque ferire, seu  
 capitali supplicio afficere potest; *vid. Gen. IX. 6. Rom. XIII. 4. Ex-*  
*od. XXVI. 12. Matth. XXIV. 52.* tum *bellico*, quo injustam vim ho-  
 stium à Republ. propulsare, religionemque & libertatem atque  
 bona tueri potest; quod probatur tam ex V. T. (a) manda-  
 to divino *Num. XXXI. 2. Job. I. 6.* (b) legibus bellicis à DEO  
 præscriptis *Num. X. 9. Deut. XX. 19.* (c) luculentis victoriis à Deo  
 concessis *Exod. XVII. 11. Jud. III. 10. Prov. XXI. 31.* quam ex N. T.  
 quia (a) ibi nullibi est prohibiturum, (b) per bonam consequenti-  
 am demonstrari potest. *vid. Luc. III. 14. Matth. VIII. 9. 10. Actor.*  
*X. 1. sqq.* Singula hæc Magistratus officia, in quibus describen-  
 dis nos ductum Scripturæ hic secuti sumus, latius in sua do-  
 ctrina exequuntur Politici. Summa summarum hæc est: Ma-  
 gistratus civilis officium est, ut unicè intendat *Bonum publicum*,  
 idque quadruplex: (1.) *Ecclesiasticum*, Ecclesiam nutriendo; (2.)  
*Civile*, civium commoda tuendo & hostes externos à finibus  
 Patriæ propulsando; (3.) *Morale*, honestas leges præscriben-  
 do, quibus subditi in officio continentur; (4.) *Naturale*, Sub-  
 ditis de comæatu & aliis necessariis prospiciendo.

§. X.

Præmissis his præmittendis, cur scilicet civitates exstiterint, quid sint & cur indigeant Magistratu, nunc ad resolutionem Problematis nostri propius accedere licet. Quæstio itaque priua & quasi præliminaris est, *an necessum sit, ut singulae urbes singulos habeant Magistratus?* ad quam nunc facilis est responsio, postquam ê §. 6. latis constat, in civitate inevitabilem Magistratus esse necessitatem. Cum enim omnis Civitas corpus sit politicum, cujus sive caput sive spiritus vitalis est Magistratus, membra verò sunt cives & subditi, quis quæso non videt, ut corpus humanum nec capite nec spiritu vitali carere potest, ita Civitatem consistere non posse sine Magistratu? Et quemadmodum omnis urbs suis non modo includitur muris, sed & propriis circumscribitur legibus: ita etiam omnis suo peculiari legum custode & executore, hoc est: Magistratu opus habet.

§. XI.

Sed quæstio hæc novam quæstionem generat: *Experientia nimirum docet, uno in loco læpe duas, tres pluresve urbes, progressu temporis, fuisse coædificatas. Modò enim soli libertas, modò commercia s. negotiandi commoditas, modò magni Principis aula & summa dicalsteria, modò alia commoda tantam hominum multitudinem, sensim hinc & inde traxerunt, ad unam urbem, ut ipsi plures fuerint adstractæ. Quæritur itaque: an urbibus ita multiplicatis multiplicandi etiam sint Magistratus? vel unus Magistratus annon etiam imperare queat urbibus accessoriis?* Sane responsio ad hoc & illud dari potest ex facto *Berolinensium*. A tempore Electoris *FRIDERICI II.* atque ita per an. 266. Magistratus urbium istarum civici seorsim & divisim imperarunt. Postquam vero *Potentissimo & Augustissimo nostro REGI FRIDERICO I.* an. 1709. Pentapolis nostræ curias



rias conjungere & ex omnibus unum Magistratus civilis corpus constituere gravissimis de causis placuit; regimen illud conjunctum suo quoque beari progressu læti cognoscimus.

§ XII.

Atque sic utraque imperandi ratio in propatulo est, neque defunt exempla aliarum civitatum, ubi urbes coædificatæ imperio olim diviso nunc verò unito & conjuncto subjectæ satis materiæ suppeditant enodandi quæstionem: *num Regimen conjunctum, num divisum sit satius?* Res quidem videtur altioris indaginis esse & præsertim infirmæ ætatis homini non statim obvia; periculum tamen faciam, quid in hoc genere valeant humeri, quid ferre recusent.

§ XIII.

Siquis *divisum* defendere velit *Regimen* atque asserere, quod *satius* sit, singulas urbes singulos habere Magistratus; is suam forte sententiam sequentibus vel probare vel illustrare posset argumentis: (1.) Magistratus civium salutis prospicere omnesque a vi & injuria defendere debet; id sane feliciter in paucitate hominum quam in nimia abundantia expediri potest. Copia enim facit inopem, & pluribus intentus minor est ad singula sensus. Præterea magnæ sunt Magistratus & munerum publicorum molestiæ & difficultates. Demosthenes, *si*, inquit, *alterum mihi sit eligendum in exilium abire malim, quam in suggestum & tribunal.* Plutarch. in Demosth. Hinc potius dividendi, ut divisi reddantur faciliores, quam jungendi sunt Magistratus. (2.) Incolæ unius urbis sæpe tam corrupti sunt & depravati, ut vix ac ne vix quidem emendari queant; quid quæso sperandum, si plures urbes ab uno Magistratu in officio simul continendi, ut vitam tranquillam agant in pietate & honestate? *1. Tim. II, 2.* (3.) Incendendi sunt animi tam Imperantium quam civium & subditorum ad honestam æmulationem, cujus quanta sit  
vis

vis & efficacia, intelligunt omnes, qui secum perpendunt, quod homo sit natus, censente Themistio, ut, quæ cum certamine, perfici debent, eadem omni nervorum contentione curet, quæ verò de facili absque æmulatione efficiuntur, ea etiam cum quadam negligentia & oscitantia peragat. Ejusmodi studium æmulandi optimè concitari & foveri potest, quando singulæ urbes singulos habent Magistratus. Tunc enim una invenit Civitas, quod in prudentia imperandi, in cultura virtutum, morum & rituum, imo in universa structura interna cæterarum vicinarum urbium primum admiretur, mox æmuletur, cum fieri non possit, ut quis non imitetur illud, cui cum amore admirabundus adhæret. (4.) Neq; parum hoc confert ad quietem & pacem publicam, si non pauculi, sed plures honorum publicorum, sunt participes. Et hoc videtur esse illud ipsum, quod 2. Pol. 9. monet Aristoteles: civitates, inquit, aut magnæ sunt, quæ civibus abundant, aut parvæ, quarum minor frequentia. Ut igitur in his tolerari potest Magistratum complicandorum consuetudo: sic in illis pluribus delegari Magistratus, magis aptum est ad civilem societatem & magis popularem. (5.) In diviso & multiplicato Magistratus civilis regimine bonis ingeniis amplior adest occasio innotescendi & inclarescendi, quam in conjuncto & contracto, ubi fortè multi bonorum excluduntur, qui prudentia, virtute & autoritate sua Patriæ opem ferre poterant. Toloss. 4. de Republ. 6. (6.) Quid multis? Ipsa S. Scriptura docet, in multitudine Consiliariorum singula ex voto succedere, vid. Prov. XI, 14. XV, 22. XXIV, 6. Plus enim vident oculi quam oculus, & plurium virorum optimorum optima sunt Consilia, Keckerm. Systema polit. lib. 2. C. 2. Nonne singula hæc patrocinantur Regimini urbium vicinarum diviso & sejuncto?

#### §. XIV.

At verò longè majora & certiora esse videntur, quæ probant,

bant, *fatius esse Regimen Magistratus civici unitum & conjunctum, ita ut pro objecto habeat universas civitates vicinas & vinculo sororio conjunctas.*

(1.) Quis ignorat, unita esse fortiora sejunctis & simplicibus? Hinc summi Imperantes non modo civitatum s. curiarum, sed etiam totarum Provinciarum & regnorum confinium conjunctionem semper fuerunt moliti. Ita Exercitus militum vel amplissimus regimine conjuncto semper in expeditionem ducitur feliciter, diviso autem illo & diverso, raro præliatur ad votum.

(2.) Providentissima natura tacite nos ducere ad jungendos hominum coetus videtur, dum quibusdam brutis, uti sunt potissimum apes & formicæ, eam inesse voluit indolem, ut, quando cohabitant, licet ratione destituantur, per quam pacta facere & regimini se submittere possint, tamen consentiendo i. e. eadem cupiendo & eadem fugiendo, unam quasi forment republicam, & ab uno velut regimine, non diverso atque diviso, dependere videantur.

(3.) Incolæ urbium vicinarum & confinium mutua rerum suarum habent commercia, atque arctissimos cognationum, familiarum, amicitiarum & necessitudinum nexus & vincula; hæc tanè rerum & animorum conjunctio omnium optimè fovetur & durat, quando singula conjuncto Magistratus regimini sunt subjecta.

(4.) Nec alibi certior & commodior inveniri potest occasio conciliandi & ad mutuos amores contrahendi multitudinis cohabitantis animos, quam in hoc ipsarum urbium vinculo sororio.

(5.) Consilia in Senatu universis civitatibus communi semper ita possunt strui, ut totius urbium systematis salutem æqualiter attingant, dum Patres conscripti una in curia congressi in deliberationis negotio commodè conferre possunt cogitata & sermones suos. Talem consiliorum & negotiorum conjunctionem in Curia Amstelodamensi observari prædicat Autor deliciarum Hollandicarum hisce verbis: *Tou-*

res choses dependent de la volonté du Senat, qui prend pour cela des résolutions conformes & proportionnées à ce, qu'il juge utile & nécessaire pour le bien & service de la ville ou de l'Etat, selon les occasions, & la conjuncture des affaires. vid. les Delices de la Hollande A. Amst. p. 110. (6.)

Et ut propius ad causas conjunctionis Curiarum in nostra Pentapoli regia accedam, omnium earum prima & primaria fuit *Justitia in salutem civium promovenda.* Nam ante conjunctionem illam civis civem citare non potuit coram forô suô, sed Actor ad Rei Magistratum privatum recurrere tenebatur: hinc sæpe factum, ut Justitiæ causæ protraherentur in longum. Nunc vero, remotis omnibus judiciorum impedimentis, res vel summi negotii sine cunctatione noxia tractari & expediri possunt. (7.) Non minus est commodum, quod ex hac Curiarum conjunctione obvenit Advocatis. Nam cum olim Judicia Senatuum privatorum sæpius inciderent in unum eundemque diem, causarum Patroni impediabantur, quo minus esse possent præsentés, quapropter nulla deinde cognitio causarum fieri potuit. Nunc verò etiam illud obstaculum est ablatum, postquam omnes causæ forenses, omnia negotia & controversiæ privatorum ad unam devolvuntur curiam tanquam ad commune Justitiæ theatrum & omnium civitatum Senaculum, cuius *ἐμύγαφν* esse possint verba regii Psaltæ: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare Fratres (Patres) in unum.*

§. XV.

Sané cum rationes has conféro cum prioribus, *imperium Magistratus civici conjunctum diviso longè præferendum esse*, mihi videre videor. Si qui tamen sint, qui secus sentire velint, iis quoque liberum sit, suâ uti sententiâ. Hoc enim specimine non docere, multo minus persuadere, sed quod decet mei ordinis homines, & ingenii mei vires explorare, & discendi conatus monstrare volui. Eadem ratione accipi velim responsiones, quas

quas nunc brevissimas ad seculum sentientium s. rationes, s. ob-  
 jectiones repositurus sum. Dicunt (1.) regimen Magistratus  
 civilis unum non sufficere tot civitatum salutem curandam. *Resp.*  
*negando*: nam cura hæc commissa est tot personis, quot ad  
 ferendum onus requiruntur: (2.) In conjuncto regimine ani-  
 mos non posse accendi ad æmulationem. *Resp. neg.* Nam in-  
 ter homines ubique datur certamen honoris & dignitatis, un-  
 de promanat æmulatio, quæ verò interdum Rebus publicis plus  
 nocet quam conducit vid. *Pufend. F. N. lib. VII. C. II.* (3.) Ra-  
 tiorum sic affulgere bonis ingeniiis spes & occasionem pro-  
 motionis. *Resp.* (a) Privata commoda non præferen-  
 da sunt publicis. (b) Florente Republica, Virtus & Eruditio  
 semper sua invenit præmia. (4.) Impediri rectam imperan-  
 di formam numerosâ multitudine hominum. *Resp.* (a)  
 Deus est, qui civitatem & urbem, ut terrarum orbem, regit. (b)  
 Ipso adjuvante etiam infinita hominum caterva in ordinem  
 cogi, ratione coerceri & legibus sapienter dirigi & gubernari  
 potest: (c) Magistratus licet conjunctus sit, tam amplius tamen  
 esse potest & debet, ut facile præstare possit id operis, ad quod  
 destinatus est.

#### §. XVI.

Coronidis loco sit quæstio: quibus mediis alicujus civitatis  
 parta dignitas & magnitudo conservetur? Tria videntur esse, JU-  
 STITIA nimirum PAX & LABOR, quæ ejusmodi felicitatis  
 publicæ conservationem sustinent. *Justitia*, quæ veræ religio-  
 nis filia esse dicitur primogenita & omnes sub se virtutes con-  
 tinet, est recta applicatio actionum nostrarum ad personas, sic  
 ut potentioribus imbecillo, divitem inopi, gentilem inquilino,  
 civem advenæ, patricium plebejo minimè anteponamus, sed  
 æquabile jus universis impertiamur. Ut enim anima corpus  
 vivificat, quamdiu in eo est, sic talis *Justitia* Rempublicam, in-

quit *Gregor Tholos. de Republ. lib. 10. cap. 2. num. 1.* Facit illud in sceleratos animadvertendo, bonos & justos præmiis afficiendo. *Vernula Institut. polit. Lib. 1. tit. 3. quæst. 3.* Nulla certè domus nedum civitas stare potest, si in ea nec recte factis præmia extent, nec supplicia peccatis. *Cicero in Brutum.* Alterum est *PAX*, (o nomen dulce!) quæ civium animos ita conglutinat, ut de conservanda salute publica unanimiter cogitent. Turbari quidem publica salus potest externa per bella; ea tamen non modo tolerari sed & superari possunt per internæ pacis studium. Tertium medium est *LABOR* vel *industria* tam *Magistratus*, qui certius quam muri aut numerosa multitudo conservat Rempublicam; *Vernula Institut. pol. lib. 1. tit. 3. quæst. 4.* quam *Civium*, qui labore suo Reipublicæ promptuarium indies reddunt plenius. Tria autem hæc civitatum conservandarum media innituntur Religionis sive pietatis veræ exercitio, quo nihil ad moderandas stabiliendasque Respublicas firmius. *Cromer lib. 2. hist. Polon.* eaque prima virtus ac basis Reipublicæ & vinculum fidei & societatis humanæ, quo sublato dissolvatur mortalium cœtus, necesse est. *Vernula l. c.* ubi addit, quod nec iustitia esse possit, ubi religio non est. vid. *Lips. in libr. advers. Dialogist. cap. 2. lib. 4. polit.*

§. XVII.

Deus itaque ardentissimis precibus rogandus est, ut, qui non modo & Respublicas & earum Statores, Reges & Principes semper enixè curat, verum & curam plane singularem *Augustissimi REGIS BORUSSORUM* Ejusque *Regiæ Pentapolis* hactenus habuit, porrò curet atque servet, quicquid in hanc diem Borussicæ Felicitatis penes nos mansit, lætissimisque incrementis proferat. Faxit idem, ut laudatissimam hanc Civitatum I. Curiarum conjunctionem constans animorum semper comitetur concordia,


CO.

## COROLLARIA.

- I. Magistratus est nomen non voluptatis, ut vulgus putat, sed oneris, sed officii divini.
- II. Civis bonus non potest esse, nisi idem fit Vir bonus.
- III. Nunquam præstantibus in Republica Viris laudata est in una sententia perpetua permansio.
- IV. Ratio status tam antiqua est ac ipsa Respublica.
- V. Nullius unquam gubernatio est felix, nisi à Deo adjuvetur.
- VI. Politica etiam Theologo est necessaria.
- VII. Duellum non est licitus fortitudinis actus.
- IIIX. *Αὐτοκρισία* nunquam est licita.
- IX. Non est è Republica litteras ignorari.
- X. Amicorum omnia sunt communia.
- XI. Volenti non fit injuria.
- XII. Ad perfectionem Oratoris contribuitur aliquid à *Natura*, aliquid ab *Eruditione*, aliquid à *Fortuna*, aliquid à *Rhetorica*.
- XIII. Optima styli virtus est perspicuitas.
- XIV. Summum orationis vitium est non capi, aut nimis ægre capi.
- XV. Logica non docet res ipsas, sed modum eas tractandi.
- XVI. Laus Poëtarum non ima est quod plura sæpe cogitanda proponant quam legenda.
- XVII. Optima in Scholis methòdus est, quæ per examen instituitur, vel: optimus informandi modus est Socraticus, h. e. qui fit per quæstiones & responsiones.

Viro veneranda Dignitate & solida eruditione  
admodum claro,  
DOMINO  
PETRO SIGISMUNDO PAPE,  
ad D. Petri Colon. ad Spream Ecclesiastæ merentissimo,  
S. O. D.

M. Godofredus Hoffmannus.



*Fautor & Amice honoratissime!*

**R**edit inter amplexus paternos filius Tuus charissimus, qui per biennium & dimidium anni apud nos literis ita incubuit, ut Tibi de reditu ejus nunc læti gratulari queamus. Tot enim & tantas menti illius dotes inesse voluit Mens infinita divina, ut ad studia natus, & in ea, quæ in Eruditionis complexu sublimia & multis aliis ingeniis impervia sunt, penetrando satis idoneus dici possit optimus ille Adolescens. Scribo hæc, non ut ipsi detur materia arroganter de dotibus suis sentiendi, sed ut gratus agnoscat Mentem Dei Menti pariter & Linguae suæ benevolam, & utriusque culturam strenuè continuet. Apud nos pietatis, modestiæ, verecundiæ ac obsequii studiosus semper fecit suo ingenio digna, dum non solum Linguas, Latinam, Græcam, Ebræam, Gallicam, & Disciplinas, quas vocant instrumentales, Logicam, Oratoriam, Poëticam assiduè tractavit, verum & aliquem prægustum Disciplinarum principalium tam theoreticarum quam practicarum acquisivit. Et ne verba Tibi, doctissime PAPE, dedisse videar, ipse Filius suæ industriæ publicum documentum jam, ut puto, non proletarium exhibet. Gratulor itaque Tibi, Vir OPTIME, de exoptatissimo precum & curarum tuarum successu, & precor ex animo, ut porro desiderii paterni filii respondeat felicitas. Persuasum etiam habeo, Ascantium tuum, qua est animi bonitate, non commissurum esse, ut vota, spes & cura paterna sua unquam culpa intervertantur & fallant. Neque dubito, quin Deus, de cujus Ecclesia maximè tineris, Tibi id largiturus sit felicitatis & lætitiæ, ut optimus Filius egregias dotes & merita Tua aliquando exprimat, atque Te totum, etiam post fata, suis Virtutibus & Studiis Orbi christiano & litterario reddat redivivum. Servet igitur illæ Vitæ & Salutis nostræ Autor & Director benignissimus Te, VIR OPTI-



OPTIME, diu incolumem, omnemque eam lætandi materiam Tibi enasci faciat, quæ ex incolumitate Liberorum benè educatorum ad optimos redundare solet Parentes. Vale! Scribeb. Zittaviæ d. XX. Octobr. MDCDXI.

**D**Um a nobis discedis,  
Cathedram disputatoriam accedis.  
Ostendis publico specimine,  
quæ privata collegisti industria,  
Ventilas argumentum  
prudentia insigne,  
utilitate incomparabile.  
Autoritas ejus pendet a Borussia Rege,  
redit ad Regem,  
quem pium, sapientem & felicem  
præsens celebrat ætas,  
futura mirabitur.  
Tentavit ille in Curiis jungendis,  
quæ frustra cogitaverant Majores Illustres.  
Perfecit feliciter,  
quæ prudenter susceperat.  
Res eo utilior erit Reipublicæ,  
quo vis unita fortior.  
Nihil loci relinquetur discordiæ,  
quia diversæ Curia in unum corpus coaluerunt.  
Nihil longioris moræ,  
quia a nutu unius Collegii omnia pendent.  
Perge, ut incepisti.  
Cumula in scholis superioribus,  
quæ in inferioribus collegisti.  
Multa habes ab indole optima,  
quæ pauci habent,  
multi frustra desiderant.  
Multa a proficiendi amore,  
animum ita stimulante,  
ut semper similis esses industriis,  
ignavis dissimilis;

eoque

eoque plus commercii haberes cum virtute,

quo plus illi vitis indulgent.

Para Te porro privata industria,

qui bono publico es natus,

Nihil impetra tibi,

Omnia aliis discere,

ut invenias omnia,

si te eruditus mundus invenerit.

Aspiciat Berolinum aliquando in filio,

quod jam veneratur in Parente.

Tanti Genitoris felicitatem deprædicet,

quoties aspexerit gnati sapientiam,

eaque constantissime recreata fuerit.

Faciebat

M. Adam Erdmann Mirus. Gymn. ConR.

*Ad humanum respondentem.*

**T**erminus ergo instat, quo, quod non ultima laurus,

Musis vis nostris dicere voce vale.

Ardua sed tentas! Quid tum? præstans & Jason,

Fert aurata ægre nobile vellus ovis.

Urbibus an multis possit præesse Senatus

Unus? disquirens Gordia vincla vides,

Nil Cereris dictum, quæ leges ferre videtur

Gentibus, hic poterit, nilque juvare Solon.

Lipsius ille aderit, si carpere vis Monitorum

Flores, nec prudens alter & alter abest.

Ast his non opus est; potius tua verba Borussi

Ad cælos tollant hoc Salomonis opus.

Quod per pauca potest, fiat per plurima non est;

Hoc verum dictum est; hoc Salomonis opus.

Natura & Salomon Vester faciunt, (scit id omnis.)

Nil frustra, male nil, nilque molestiæ amans.

O vos felices urbes! O regna beata.

Queis Rex est tantus, queis bona tanta data!

Hinc Cererem credo Te, & velle juvare Solonem.

*Namque Solon est Rex atque Sophia Ceres.*

C. G. Pitfchmannus.

*Trabon*


ULB Halle

005 366 569

3







1673. 46 28. M

Q. D. B. V.  
*QVÆSTIONEM HISTORICO-  
POLITICAM:*  
**AN SATIUS SIT REGIMEN  
MAGISTRATUS CIVICI IN RE-  
PUBLICA BENE CONSTITUTA  
DIVISUM, AN CONJUNCTUM?**  
occasione  
*Conjunctionis Curiarum in Augu-  
stissimi REGIS BORUSSORUM Pentapolis  
Regia ante biennium factæ,*  
**IN GYMNASIO ZITTAVIENSI**  
enodam,  
sub Præsidio  
**M. GODOFREDI HOFEMANNI**  
Rectoris,  
ad d. XXII. Octobr. MDCCXI.  
loco speciminis Valedictorii  
publicæ Disquisitioni  
submittit  
Aut. & Resp.  
**Franciscus Sigismundus Pape,**  
Colonia-Marchicus.  
ZITTAVIÆ, litteris Hartmannianis.

28. 4. 06.

